

4.

Q. 267, 32

Z d
5921

LACHRYMÆ

S I V E

S U S P I R I A

EMISSA ET EFFUSA

Partim

*Propter luctuosissimum & prematurum Obi-
tum ac Discessum ex hac Aca-
demia terrestri*

Dn. CONRADI REUTERI

BITTERFELDENSIS, Philosophiæ

& Medicinæ Studiosi:

Partim

*Propter optatissimum futura cœlestis Aca-
demie statum & desiderium,
animitus inreminata,*

In Collegio Choralistarum quorundam in
templo arcis privato repetita

A B

ELIA KIRCHHOFFIO BITTERFELDENSIS

Philosophiæ & SS. Theologiæ Studioso.

VVITTEBERGÆ

Ex Officina Johannis Gormanni, Anno 1614.

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
ALLE
(SAALE)

0089507X

V I R I S

Spectatiss. Eruditiss. Consultissimis

Dn. CONRADO REUTERO,
Dn. M. CHRISTOPHORO COLERO,
Dn. GEORGIO STROBELIO,
Dn. MAURITIO TILIO,

Illis Reipub. Bitterfeldensis;
Huic verò Schmidebergensis
Coss. laudatissimis,

*Evergetis, Mæcenatibus & Promotoribus meis
etatem honorandis.*

NEC NON

*Viris Juvenibus, Eruditione ac politiorè
litteratura præstantissimis*

Dn. { GOTFRIDO } Reuteris, fratribus Germanis
{ JOHANNI } L.L. Candidatis, & bonarum
{ FRIDERICO } artium cultoribus.

Dn. iti- { HEINRICO } Reuteris S S. Theologiæ
dem { & PAULO } & Philosophiæ Studiofis

*Dominis Fautoribus, Patronis, Amicis & com-
militonibus suis nullo non amore
& honore colendis*

Strenæ sive Xenij loco

Suspiria hæc α β γ δ ϵ ζ η θ ι κ λ μ ν ξ \omicron π ρ σ τ υ ϕ χ ψ ω

distribuit & Inscribit

Elias Kirchhoff Φ ι λ \omicron μ α η ς
*Alumnus Bitterfeldensis, &
Chori Symphoniaci Altista.*



O R A T I O

De Obitu

CONRADI REÜTERI, BITTERFELDENSIS PHILO- sophiæ & Medicinæ Studiosi.



Misimus ante aliquot hosce dies, amissimus Commilitones atq; Collegæ literarissimi, vel ut piè magis & Christianè loquar, præmissimus ex hac lacrimarum valle, ex hac terrestri Academia ad coelestem illam & gloriosam, Commilitonem nostrum & conterraneum CONRADUM REUTERUM, humanioribus literis & artibus perpolitum, Philosophiæ & Medicinæ Candidatum. Et luctuosissimo parenti, tristissimis fratribus & amicis non condoleamus? Fecisset utinam summus ille arbiter Deus, ut lugubris hæc lamentatio usurpanda non esset? quam ego lubentissimè de alio quopiam themate differere, de alia materia verba ad vos facere vòluissem! O utinam atq; iterum utinam bajulanti- bus nobis in ipsa funeris deductione Elias quidam vel Eliseus vel Christus obviam venisset, & demortuum ceu filium viduæ Naynum in vitam revocasset! Sed

Luc. 6. 7.
v. 11.

ORATIO DE OBITU

quia Deo aliter visum est, & mihi dicendi hæc necessitas incumbit, accingere ad lætuosissimum hoc orationis genus me volui; ut ultimum humanitatis officium Commilitoni meo præstarem, & affectum meum religiosis ipsius manibus testatum facerem. Anaxagoram Philosophum cum de filij morte nuncium accepisset, respondisse legimus: Sciebam me genuisse mortalem. Hoc Philosophi Ethnici dictum fuit: Sed nobis qui Christiani sumus nostrorum defunctorum fata paulò ardentius depletemus. Haud facile enim, quæ non sine dolore & mœrore nobis obtigerunt, tam subito oblivisci possumus, & absit ut obliviscamur, amici imò affinis tam jucundi & dilecti, Juvenis tam honesti & docti. Hoc autem moneo, ut in lugendo modum teneamus, ne Christiano homine indignum quid committamus. Benè, Me Christe, res habet, ex terrestri hac in cœlestem pientissimus Juvenis commigravit. Academiam, ex lætuosissima in gloriosam translatus est Scholam. O felicem mortem! O beatam animam! quæ terrena hæc linquit, & ad Deum fugit! quæ mavult omnibus, quæ in cœlo & terra sunt fraudari, quàm præpotentis Dei solatio & auxilio destitui! Hic felicissimus est iste exitus, Hic beatissimus est iste obitus, è terra in cœlum suscipi, ex Schola hac terrestri in cœlestem translocari. Gratulor tibi mi CONRADE, gratulor tibi ex animo, & eandem quoq; beatitudinem mihi quoque propediem exopto. Quid itaq; lugetis populares? Quid contristamini fratres? Quid angis quid plangis ô pientissimè Parens? Quid optimo Conrado melius accidere potuisset? In Academia jam versatur cœlesti & æterna, ubi Sapientiam Æterni Patris ipsam coram audire, ubi Doctorem & Medicum animarum nostrarum consulere ipse potest; ubi exoptatissimo Sanctorum Electorum & Angelorum fruitur consortio. Hæc est illa Academia, quæ huic longè præferenda, Hæc illi minimè æquiparanda.

De hac ulterius verba facere fert animus, de hac paulatim dispicere in præsentiarum conabor, Æquum enim & necessarium omninò existimo, vitæ æternæ & Academiae cœlestis

Laertius
lib. 2. c. 3.
Cic. lib. 3.
Tusc. quest.

Psal. 73.
Wenn ich
nur dich
habe.

CONRADI REUTERI.

stis desiderio vestrum dolorem propter præmatorum defuncti nostri obitū levare, & meam quoq; ipsius miseriam sublevare.

Quamvis verò communi dolore, & luctu affectus ad consolandum minus sum idoneus, minusq; dicendo disertus: Tamen quoad potero, gravissimum luctum, animosq; mœrore nimio tantum nō confectos collatione hujus cum cœlesti illa Academia paululum erigere & recreare conabor. Quam rem Deo gratam, parenti maximo, adeoq; vobis ipsis utilem & salutarem fore confido.

Quando præsentem hujus vitæ statum oculis & animo penitus introspicimus, re ipsa experiemur, commodato illam nobis datam esse non mancipio. Hæc conditione intrasti ô homo, ut exires, nudus venisti, nudus etiam abibis. Peregrinatio hæc vita est. & via ad vitam, ideoq; mansionem hinc non habemus. Πολιτεία nostrum in cœlis est, unde etiam expectamus Salvatorem nostrum JESUM CHRISTUM. Sursum ergo corda, ad cœlestem Academiam adspicimus. Ad id natus est homo, ad hoc natura eum finxit atq; formavit, ut & pedibus quidem cum bestiis ambulet in terra: Sed solus ex omnibus animantibus erecto capite cum angelis in cœlo conversetur. Manus autem utrasq; inter pedes & caput locatas, tum ad victum necessarium laborando figat in tellurem, tum ad vitam æternam contemplando levet in cœlum. Ad quarum tutelam orbis oculorum mobiles inditi sunt, ut in terram pro corporis, in cœlum pro animi salute conjici possent. Ad cœlum ergo oculos subinde elevemus, Academiam cœlestem cogitemus, & temporalem mortem æquo animo feremus. Olympicum istud Lyceum non melius & verius contemplari possumus, quàm si cum terrestri, quantum instituti ratio tulerit, conferamus. Collationem hanc in tribus potissimum capitibus expeditam dari posse existimamus; reliqua tamen non excludimus, sed temporis gratia omittimus.

In omni Academia primum quæri solet de Numero Studiosorum, quæ floreat studia, & cui Facultati potissimum sint addicti. Studiosos ipsos videamus, qui in Omnipotentis

A 3

Dei

Ad Phil. 3.
v. 28.

I.
Quales
Studiofi.



ORATIO DE OBITU

Dei Schola versantur. In hac nostra VVittebergâ si paululum dispicimus, passim per plateas obvios omnis generis studiosos videmus. Vel si plateis immorari aliquem pigeat, subindè tamen illos intra conclavia etiam audiet, cum primis vesperi & noctu, audiet certè hinc inde prædonum instar discurrentes, instar debacchantium lapides ferientes, instar Cerdonum vociferantes, instar Cycloperum ædes oppugnantes, fenestras exturbantes, actionibus acerbissimis se invicem exagitant. Huic turbæ turbulentæ & ad bonum lentæ (de bonis & piis nihil dico) qui se associat, perit funditus, vitam vivit indoctus, pericula incurrit pronus. Non illa tam Lyceum olet, quam Lyæum, ventrem curat & Venerem, Musis ne eognita quidem & Apollini.

Quid? Anne etiam cœlestes illos Academicos, sic gerere sese putes? Minimè gentium. Tranquillitas ibi maxima, pax ibi & concordia amicissima, & concordissima amicitia. Non ibi tales loculorum & poculorum helluones, cessat ibi luxus & fastus, & hanc ob causam ex cœlesti illa Academia Lucifer cum suis asseclis deturbatus, & ad Orcum relegatus est. Nullum ibi pravum jam amplius sodalitiū, in illas **CONRADUS** noster non incidit Harpyias, sanctis Angelis adhæret, Beatis Sanctis cohabitat; O studiosos omnium felicissimos! O consortium longè beatissimum! Veluti aromata sunt boni, qui odorem semper affricant tangenti, & rosæ, quæ in manu, etiam ablata, gratum sui relinquunt indicium; sic boni virtutis suæ convictoribus relinquunt auram suavissimam, sic Conradus noster ad exemplum bonorum angelorum collaudat Deum, exoptatissimo fretus sodalitiō. Et nos ipsius felicitatem lugeamus? beatitudinem deploremus? O utinam mihi quoq; propediem isthuc abeundum sit? O beatam istam Academiam hodiè adhuc intrare liceat!

Hic accessus ad Doctos est difficilis, maximè verò quibus res angusta domi, & tenuis splendet in mensa salinum. Hic subindè nos deficiunt sumptus, & prorogationem stipendij efflagitare necessum habemus. Verum ibi expirat omnis necessi-

necessi-

Apocal. 12.
v. 9.

Horatius.

CONRADI REUTERI,

necessitas, ibi non amplius pro mensa pecuniam numerabimus, ibi in medio vivemus Helicone, ac potius Paradiso, ibi Doctorem eruditæ linguæ affabimur cotidie. In hac Schola umbratili sumus Alphabetarij: In illa verò cœlesti Academia, audiemus Deum Professore, & habebimus Angelos & pios commilitones.

Ah Commilitones ornatissimi, præ gaudio & desiderio mens obstupescit. O quotusquisq; est inter studiosos, qui hanc Academiam visendam sibi & protinus quidem visendam non exoptat! Quando ex triviali in Academiã concedit Scholasticus, statim acclamare solemus? Vita hæc nostra mores expostulat novos, & mentem attentam. Sic quando ex hoc trivio cœlestem visuri sumus Academiam, acclamabit nobis CONRADUS noster: Vita hæc ô populares, alios mores postulat, & mentem etiam attentam. Videte ordinis nostri studiosos, non amplius peccamus, nemo hic læditur, ita scitur nemo, invidet nemo, cupiditas nulla exardescit. Ah beatam vitam, peccatorum pondere quum non gravabimur, neq; peccatorum maculas pœnitentibus lacrimis deflere, neq; læthalia animæ vulnera metuere amplius cogemur. Ibi erit attentio devota, & devotio attenta, ἰσαγγελοι erimus, eadem fulgentes virtutum coronâ, eodemq; æternitatis gaudentes Privilegio. Tum temporis nobis gratulabuntur cœlestes studiosi, affines & parentes nostri, quos hac in vita non amissimus, sed præmissimus. Ibi videbimus illos cœlestis Philosophiæ Candidatos aspectabimus æternæ laudis & gloriæ Magistros, ibi mirabimur magnos Doctores in sellis sedentes, & coram throno agni assistentes, ibi audiemus lectiones & disputationes de magnis DEI beneficijs, de æternis Dei laudibus, O beatissime CONRADE, qui hujus felicitatis revera te participem gloriari potes! O beatos & nos, quibus hanc cœlestem Academiam sperare licet! Evolemus hinc commilitones optimi! Quid moramur hæc miserias? vera lætitia in hoc mundo rara chara, Nemo hominum est, cui tutò fidere queamus.

Ad

*Gerhardus
in meditacionibus,*

*Cum Monica
Augustini matre.*

ORATIO DE OBITU

Ad Phil. 3.
v. 28.

Scalig. Exerc.
205.
sect. 2,
August. in
lib de Civ.
Dei de
Sale.

Ad patriam ergo & cœlestem Academiam adspiremus, ubi est πολιτεία nostrum. Homini enim vita hæc non est, sed via ad vitam, quæ æterna est. Aliis animantibus quod adest, suum ipsorum est. Homini quod adest, est propter id, quod abest, Abest enim quod suam ipsius est. Nascuntur poma circa regionem Sodomæ, quæ delectant exteriori pulcritudine: sed contacta in pulverem abeunt. Sic status hujus Academiæ, felicitas hujus vitæ exterius delectat, quod si pressiori consideratione eam tangas, fumo & pulveri similis apparebit. Non itaq; summam cogitationum nostrarum referamus ad hanc vitam: sed mente semper ad futuram adspiremus Academiam.

II.

Quæ Do-
ctrina &
Qualis co-
gnitio.

Ibi sonabit vera & incorrupta doctrina de Deo, imò re ipsa aspiciemus, quæ hic in speculo prævidimus.

In terrestribus hisce Academijs semper sunt, qui depravatis suis erroribus & schismatibus Ecclesiam Dei turbant, qui omnis generis calumnias disseminant, honestos & Orthodoxos Doctores scommatibus proscindunt & lacerant. Quod enim verbis obtinere non possunt, calumnijs diab. hoc attentant. Sed in illa Academia hæc omnia evanescent, ejicietur ibi diabolus & complices ejus, hæreticos non tolerabit cœlestis Rector; sed excludet, & ad infernum relegabit in perpetuum. Puritas itaq; Doctrinæ erit summa, & cognitio nostra perfectissima. Hic ex parte Prophetamus, & scientia nostra est exigua. Quando ad examen vocati ex hac vel illa disciplina rationem reddere tenemur, adeò profectò docti sumus, ut vel falsum, quodq; minus quadrat, proferamus; vel planè ex Cornelio Tacito respondeamus. Verum ibi Juvenes erimus doctissimi, in omni scientiarum genere cultissimi, Erit ibi cognitio vera & δεχεται, ibidem nobis constabit, quid sit ille El Schaddai, θεός ὁ ἀνευδής, καὶ αὐτάρκης, Essentia illa ἡσία ὑπερῆσιον θεός ὁ παντελής, ὁ αὐταυτός, καὶ τρισύγι, ibidem intelligemus supernaturalem illam συγκατάθεσιν, & salutiferam τὴν θεανθρώπων incarnationem. Magnum est τὸ τῆς ἐνσαρκώσεως, μυστήριον, & est mirabile in oculis nostris: ὁ λόγος
Quis
σαρξ ἐγένετο.

I Cor. 13.
ver 9.

Ioh. cap. 1.
v. 14.

CONRADI REUTERI.

Quis magnitudinem hujus myſterij in hac vita cognoſcere poteſt? In ſacra Domini Cœna tremendum itidem & omnibus modis adorandum nobis proponitur myſterium. Eſt ibi divinæ gratiæ theſaurus & gazophylacium, mirari illud non rimari in hac vita ſapientia vera eſt. Multa etiam ſunt in rebus naturalibus, de quibus controvertitur, & tamen profundam & abſolutam eorum ſcientiam indagare non poſſumus. De ventis diſputatur, & de cauſis illorum & natura multum ſanè verborum in medium affertur; Quis tamen certi aliquid ſtatere, Quis ſufficientes rationes demonſtrare poteſt, in quibus acquieſcere poſſimus? Spiritus ubi vult ſpirat, inquit Salvator ipſe, & vocem ejus audis: ſed nescis unde veniat, & quò vadat. Spiritus quid non ſit, melius dici poteſt, quàm quid ſit, inquit Doctor ille Italicus omnium ſubtiliſſimus.

Cum primis inter organa ſenſuum miram optimi architecti ſapientiam de prædicant inſtrumenta viſus & auditus, adeò ut nemo ſit, qui exactum illorum artificium obſervare poſſit. Multa quidem obſervarunt Anatomici: Sed illi iidem ipſi fatentur, multa eſſe in humano corpore, quæ ſoli conditori Deo nota ſint. Quis eruditus ſua ratione poteſt inveſtigare, quomodo memoria hominis tam multas res poſſit meminiffe: Imò ſi quid fortè exciderit, etiam reminſci, quis unquam hoc ſatis explicare poteſt?

Abs homine ſad bruta animalia tranſeo, non quod omnia Dei mirabilia in natura enumerare velim, & qui ego Tyro tam magna poſſem? Sed digitum duntaxat ad unum atq; alterum intendo, & imperfectionem cognitionis & intellectus noſtri in hac vita oſtendo. Aſpicite formicam, viventium brutorum animalculum ſubtiliſſimum. Quanta illius ſit phantafia, memoria, eoq; prudentia, omnibus notum eſt. Quantulum tamen obſecro corpus habet? Quantum cerebri? Contra quot ſunt grandia animalia? imò & homines, qui tanta memoriâ non valent? O ſtupendam Dei opificis ſapientiam! O immenſam ſtudioſorum cœleſtium intelligentiam!

B

Nos

In Phyiſicis.

Iohan. c. 3.

v. 8.

*Scalig. in
calce Exer-
citationum
ſuarum.*

ORATIO DE OBITU

Nos in his terris hæc non intelligimus, neq; à priori per causam manifestam cognoscimus, nisi quod per effecta & à posteriori tantum percipimus, & colligimus, similes vulpi elusæ à Ciconia, quæ vitreum vas lambebat, pulvrem autem non attingebat; similes inquam mendicis, qui foris tantum divitum ædes aspiciunt, introitus autem eis non permittitur.

O felices cœlicolas! Cœlestes Academicos, qui hæc omnia norunt! qui perfecte hæc omnia cognoscunt! Hæc est illa Eruditio plenaria, quæ habet ab eo, qui est omnia, omnium rerum præsentem supellectilem. Hæc est cognitio illa sufficiens, quæ nequè fit per species, neq; suggeritur per principia connaturalia; neq; sese insinuat per opera, neq; subit per disciplinam: sed præsentia visionis beat cives illius Academia: Cujus ipse Sol sine occasu, sine ortu: perpetuitas sine momentis, præsens sine lapsu: satietas sine fastidio: desiderium sine defectu: triumphus sine bello: lætitia sine gestu: Scientia sine disciplina, ut idem ille Scaliger cœlestem illam Republiciterariam graphicè describit.

Quæritis commilitones optimi, quales ibi futuri Professores? Sciatis, ô mei, Doctorem & Ductorem fore CHRISTUM JESUM, Magistrum illum, & Doctorem Doctorum omnium doctissimum; Hic est Magnificus & revera augustus ille Rector, qui suo scepro totum moderatur orbem, cujus imperio subjacent cœlum & terra, à cujus nutu cœli columnæ stant attonitæ, Hic nos ducet & docebit. In loco pascuæ nos collocabit: super aquam refectionis educet nos. In illa Academia similes erimus Reginae cum multo comitatu ad Salomonem venienti, quæ mirabatur Regis sapientiam. Regina illa anima nostra est, illa ingredietur in cœlestem illam Hierosolymam, cum multo comitatu sanctorum angelorum, cum auro & preciosis lapidibus diversarum virtutum. Mirabitur cœlestis illius Professoris & Rectoris sapientiam, Ministrorum Academicorum, hoc est, angelorum & sanctorum ordinem, ciborum, mensæ, id est, æternæ refectionis plenitudinem, vestium precium, id est corporum glorificatorum;

domus

Scalig. Exerc. 307.

sect. 71.

Strigelius in doctrina differentia.

1. ad Cor.

cap. 13.

Scalig. Exerc. 359.

sect. 11.

III.

Qui Professores, & Qualis Rector.

Psal. 23. ver. 2.

Vide meditationem Gerhardi.

CONRADI REUTERI.

domus pulcritudinem, id est, cœlestis palatij magnitudinem ;
Sacrificiorum, id est, laudum divinarum multitudinem ; fa-
tebitur in stuporem conversa, se non potuisse credere ea, quæ
jam oculis sunt visenda. Hic studiosi sunt prægnantes, & par-
ruriunt vel viciam vel virtutem. Ideò Præceptores & Rectores
sunt obstetrices, quibus cavendum est, ut ne fœtus exeat fœ-
dus. Huc spectant leges Academicæ, huc spectat autoritas
ipsius Rectoris, cui certè debitam præstare decet obedientiam.
Quando itaq; Magnificus citat studiosum, profectò compare-
re necessum habet. Sic compareamus nos quoq; citati à cœlesti
Rectore, qui nobiscum agit & operatur partim per præsentem
& visibilem hujus Academicæ administrationem; partim per
futuram mortis citationem. Videte amabo, quicumq; estis,
commilitonem nostrum, in atroq; suam Rectori cœlesti pro-
bavit obedientiam.

Quis petulantia illum, dum adhuc in vivis esset, accu-
sare? Quis criminis insimulare? Quis de peccato illum, ar-
guere potuit? Nonne vivebat pie & modeste? Nec certè hanc
mortem suam injussus obiit: sed ad citationem Rectoris com-
paruit. Quid itaq; logetis? Quid obedientem in suâ voca-
tione tardatis? Tempora nostra in manu Dei sunt, determina-
ti sunt dies hominis, & numerus mensium apud Deum, qui
constituit terminos ejus, qui præteriri non possunt. Imò nec
passer sine voluntate Dei perire potest, ne dum homo, omni-
bus passeribus infinitis modis antepouendus. Rectore igitur
sciente & citante hoc factum est. Si quis à Domino Rectore
citaretur, quid fieret, quæso, si non compareret? Hic verò plus
est quam Rector. Hic major est quam Meisnerus. Huic ex hac
statione vocanti pareamus, ubicunq; locorum degamus, sive
domi apud nostrates, sive foris apud exteros.

Videamus potius, ne fidem & patientiam dolori suc-
cumbendo, & de Dei providentia & voluntate dubitando ab-
jiciamus. Dominus dedit, Dominus abstulit, Nomen Domini
sit benedictum. Videte Regium istum sanguinem & herilem
filium Davidis, ille vix hanc lucem viderat, & statim vitâ exce-
debat.

*Psal. 31.
ver. 16.
Iobi cap.
14. v. 5.*

Zd 5921

IN OBITU CONRADI REUTERI.

debat. Jobus vir multæ potentiaæ oves & boves amiserat, imò omnium filiorum suorum necem uno intuitu videbat: & tamen omnem rem Deo committebat. Hic non omnes, sed unus duntaxat sublatus est, reliqui adhuc in vivis sunt, Viri-Juvenes magnæ etiam spei atq; expectationis. Deindè in vera fide & invocatione obdormivit, passus & resectus spiritali. illo è *Φοδιω*, & obdormivit in lectulo, non trans fossus mucrone vel gladio, neq; ebrius inter turbas expiravit: sed benè instructus, & a hoc iter egregiè paratus. Nunc varijs hujus vitæ periculis ereptus, jam ex hac terrestri Academia ad æternam Dei & Ecclesiæ cœlestis consuetudinem evocatus, ubi nulla amplius pœna, ubi nullus carcer, ubi nulla quoq; contra leges prævaricatio. Me Christe aliquando erit, ut nos quoq; citati ibidem comparere teneamus, ibi CONRADUM nostrum recognoscemus, vitamq; sub RECTORATU summi TRIUNIVS DEI, PATRIS, FILII, ET SPIRITUS SANCTI, nullis seculis terminandam cum ipso & omnibus Electis peragemus. Nam quis est alius finis noster, nisi pervenire ad Regnum: cujus nullus finis? Quanta erit felicitas, ubi nullum erit malum? nullum latebit bonum. Vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus. Ipse finis erit omnium desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur. sine fastidio amabitur. sine fatione laudabitur.

Augustin.
de Civ. Dei

D I X I.

W 22

17.5



4.

Q. 267, 32. LAC

S U S

EMISSA

*Propter luctuosissimam
tum ac Di-*
de

Dn. CONR

BITTERFEL

& Medi

*Propter optatissimam
demia statu*
animit

In Collegio Chor
templo arc

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

ELIA KIRCHH

Philosophia &

VVI 2

Ex Officina Johar



X 2056800

